
Supremo Tribunal de la Signatura Apostólica. Decreto sobre la expulsión de una religiosa, de 22 de junio de 2006

Prot. n. 37352/05 CA

N

Dimissionis

(Soror X – Congregatio pro Institutis
vitae consecratae et Societatibus vitae
apostolicae)

DECRETUM

1. Soror X, nata die 31 octobris 1947, in Instituto Y, quae sunt Z, die 21 septembris 1972 vota perpetua emisit. Cum ipsa autem domum sibi assignatam non peteret, re in Consilio disceptata atque diebus 18 (21) decembris 2001 et 14 (21) ianuarii 2002 frustra datis monitionibus canonicis, Superiorissa generalis una cum Consilio die 2 martii eiusdem anni decisionem tulit pro eius dimissione. Decretum dimissionis, ab Antistita generali die 13 martii 2002 latum, dein a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae die 10 maii 2002 confirmatum est, atvero Sorori sine eiusdem parte motiva notificatum.

Traducción del Prof. Jordi Bosch Carrera.

Eadem autem Congregatio die 22 octobris 2002 recursum hierarchicum a Sorore interpositum reiecit.

Recurrit tunc Soror, die 21 novembris eiusdem anni, ad H.S.T. (prot. n. 33550-A/02 CA), quod, re rite discussa, in Congressu diei 17 decembris 2003 recursum ad disceptationem admisit.

Concordato vero dubio, Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae die 2 februarii 2004 decretum diei 22 octobris 2002 revocavit, quam ob rem H.S.T. die 31 martii 2004 decrevit recursum cessavisse propter praesuppositi carentiam.

2. Decreto dimissionis tandem aliquando die 10 februarii 2004 integre notificato, Soror X die 18 eiusdem mensis et anni denuo recurrit ad Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, quae die 30 novembris 2004 recursum hierarchicum reiecit. Soror tunc die 16 decembris eiusdem anni coram Congregatione interposuit “appello avverso la pronunzia de quo per i motivi in fatto e diritto che saranno precisati dal mio legale in sede di prosecuzione del medesimo”. Nulla prosecutione facta, Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae decreto diei 21 maii 2005 confirmavit decretum diei 30 novembris 2004.

Soror tandem die 6 iunii 2005 novum recursum ad H.S.T. interposuit (prot. n. 37352/05 CA).

Receptis memorialibus pro utraque parte in causa, atque exarato voto pro

rei veritate a Rev.mo Promotore Iustitiae, cui Cl.mi partium Patroni responderunt,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

3. Praemisso quod H.S.T. –uti, ceterum, iam patebat ex parte motiva eius decreti diei 31 maii 2004, prot. n. 33550-A/02 CA– omnino legitime declaravit cessationem primi recursus et alterum uti novam causam introducens habuit, etsi utique conexam cum priore (cfr. Decretum def. d. 15 dec. 2001, prot. n. 29828/99 CA), quodque Congregatio instantiam Sororis diei 16 decembris 2004 intellexisse videtur uti petitionem emendationis vel revocationis decreti quo ipsa reiecerat Sororis recursum hierarchicum (cfr. art. 135 § 1 RGCR), quam petitionem tandem die 21 maii 2005 ob non exhibitas rationes motivas reiecit.

4. Quoad assertas violationes legis in procedendo, attento quod:

a) Cl.mus Recurrentis Patronus in genere asserit quod Superiorissa “minime examinavit legitimitatem excusationum quae ab ipsa sorore adductae sunt”, sed dein modo sat contradictorio contendit quod ab eadem Superiorissa cum suo Consilio documentatio medica a Sorore producta considerata fuit “pretestuosa”: si illa documentatio considerata est, ipsa sine dubio cuidam saltem examini subiecta est.

b) Idem Cl.mus Patronus inepte agit de “exercitio iuris religiosi, i.e.

utendi advocati opera” in procedura dimissionis coram Instituto. Satis est ad rem remittere ad Sententiam def. H.S.T. diei 22 iunii 2002 (prot. n. 30273/99 CA, p. 10, n. 14): “Non datur ius advocatum adhibendi hac in phasi procedurae, sed tantum in subsequenti recursu hierarchico (can. 1738)”.

c) In casu, “quod gravius est” ius defensionis recurrentis omnino neglectum esset, non solum a Superiorissa generali, verum etiam a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, quae in decreto impugnato statuit: “Il Dicastero, nel valutare il Ricorso qui presentato, non giudica necessario sentire delle persone, come richiede il Ricorrente. Considera sufficiente il consueto procedimento di formulare l’opinione propria in base alla documentazione qui esibita”.

Ad rem ante omnia prae oculis habendum est principium generale iuxta quod in procedura dimissionis et in examine recursus hierarchici non requiritur contradictorium, sicut v.g. in processu iudiciali vel processu administrativo poenali (cfr. v.g. Sententia def. diei 16 ianuarii 1993, prot. n. 21101/89 CA, pp. 5-6, nn. 5-6; Sententia def. diei 24 martii 2001, prot. n. 27795/97 CA, p. 12, n. 9; Sententia def. diei 22 iunii 2002, prot. n. 30273/99 CA, p. 12, n. 16). Magis autem in specie, consideranda sunt praescripta proceduram dimissionis facultativae respicientia (cann. 696-700), iuxta quae: in monitionibus canonicis sodali clare significanda est causa dimissionis eique danda est plena facultas sese defendendi (cfr. can. 697, n. 2); Superior maior, “post quindecim dies ab ultima monitione frustra

elapsos, acta omnia a ipso Superiore maiore et a notario subscripta una cum responsionibus sodalis ab ipso sodale subscriptis supremo Moderatori transmittat” (can. 697, n. 3); “firmum semper manet ius sodalis cum supremo Moderatore comunicandi et illi directe suas defensiones exhibendi” (can. 698); eiusdem tandem supremi Superioris cum suo consilio est probationes, argumenta et defensiones accurate perpendere (cfr. can. 699 § 3). Quae praescripta iuris nullam faciunt mentionem de iure sodalis exigendi ut Superior probationes ab eo propositas colligat.

Quae cum ita sint, non sustinetur assertum ius defensionis Recurrentis neglectum.

d) Cl.mus Recurrentis Patronus, tandem, dubitat inter duas monitiones Sorori datas quindecim fuisse dies utiles, etiam quia omnes communicationes peractae essent “per posta ordinaria, senza alcuna formalità in ordine ai termini”, sed monitiones datae sunt per litteras commendatas cum syngrapha receptionis, et quidem prima die 18 decembris 2001 missa die 21 eiusdem mensis recepta est atque altera die 14 ianuarii 2002 missa die 21 eiusdem mensis recepta, uti plane constat ex exemplaribus photostaticis ad rem pertinentibus, quae habentur in actis prioris causae.

e) Quibus dictis, patet assertam violationem legis in procedendo haudquam sustineri.

5. Quoad assertas violationes legis in decernendo, perspecto quod:

a) Factum in controversum est, nempe pertinax inoboedientia Sororis

in materia gravi (cfr. can. 696 § 1; artt. 31 et 184 Constitutionum), relate scilicet ad praeceptum sese ad domum designatam transferendi.

b) Tenet vero Cl. mus Recurrentis Patronus quod iuxta Constitutiones (art. 184) et Directorium Superiorissa generalis praeceptum translationis “in decernendo, debet motivare et in procedendo debet consulere”, atque pervenit ad conclusionem quod “decretum dimissionis est illegitimum in decernendo quia: a. soror consultata non fuit ante iussum praeceptum translationis...; b. praeceptum oboedientiae non est motivatum...”.

Qui art. 184 Const. habetur sub rubro: “Assegnazione degli incarichi e trasferimenti” et ita sonat: “La Superiora generale con il suo Consiglio ha il diritto di conferire uffici ed incarichi ai membri dell’intera Congregazione, di destinare alle comunità locali le suore, e, per motivo ragionevole, può di sua autorità trasferire qualunque suora da una casa all’altra. Non ometta, in ogni caso, di far precedere a tali designazioni opportuna consultazione”.

Iamvero, illa facultas transferendi quamlibet sororem requirit ut habeatur “motivo ragionevole”, id est iusta causa, sed art. 184 nullo modo exigit ut decisio feratur indicatis causis motivis. Iuxta can. 51, ceterum, decretum singulare administrativum exprimere debet motiva “si agatur de decisione”. Et ad rem J. García Martín scribit: “...decisione è un termine abbastanza ampio e può riguardare qualsiasi decreto, il canone, tuttavia, non si riferisce a tutti i decreti, ma soltanto al decreto decisorio. Il suddetto obbligo, quindi, non si riferisce ai decreti provvisori” (*Le norme generali del Codex Iuris Canonici*, 3^a ed., Roma 1999, 218). Iamvero, art. 184 sese refert

ad provisiones, quae secundum can. 48 distinguendae sunt a decretis singularibus quibus pro casu particulari datur decisio. Quidquid est, secundum praxim omnino pacificam praecepta translationis ad aliam domum in Institutis religiosis dari solent rationibus motivis haud expressis, nisi aliud in iure proprio expresse statuatur.

Idem art. 184 requirit quoque “di far precedere a tali designazione opportuna consultazione”. Sed Constitutiones non dicunt quaenam sint personae a quibus hoc in casu ex parte Superiorissae generalis consilium petendum est. Ipsa, utique, ante praeceptum translationis rem cum Consilio suo discussit. Agitur insuper de “opportuna consultazione”. Pertinebat proinde ad eandem Superiorissam generalem decernere quaenam opportuna consultatio in casu requireretur. Apparet praeterea ex actis Superiorissam generalem patientem dialogum cum Sorore exquisivisse, quae litteris diei 16 iulii 2001 ei mentem suam aperuerat et ulteriores invitationes ad dialogum directum sprexit, dum Superiorissa patienter eam ad oboediendum invitavit.

Non probant igitur argumenta examini subiecta assertam illegitimitatem praecepti translationis in casu.

c) Ratio dimissionis in casu non est illegitima absentia a domo per sex menses protracta, sed pertinax inoboedientia legitimis praescriptis Superiorum in materia gravi, quae ratio, motivis exhibitis, in monitionibus canonicis, decreto dimissionis et impugnato decreto Congregationis clare exponitur. Non intellegitur proinde argumentum Cl.mi

Recurrentis Patroni, iuxta quod “motivationes adductae (monialis fugitiva) non sunt ad rem (art. 224 Directorii)”.

d) Insinuat quoque idem Cl.mus Patronus recusationem praecepti oboedientiae fuisse legitimam, quia Superiorissa assumere nolebat probationes a Sorore adductas ad assertam dimissionis illegitimitatem probandam, sed supra iam dictum est Sororem iure non gaudere ut probationes ab ipsa expetita de facto a Superiorissa (et a Dicasterio) colligantur.

Utrumque, nullo modo apparet Sororis statum valetudinis talem fuisse ut impediret quominus Soror exsequeretur mandatum, cum non ageretur de mandato obiective nimis oneroso uti est translatio inter urbes sat vicinas [...]

e) Idem Cl.mus Patronus decretum die 22 octobris 2002 a Congregatione latum obreptionis accusat. Ad rem, praetermissis aliis forte animadvertendis, sufficit respondere illud decretum, utpote ab eodem Dicasterio die 2 februarii 2004 revocatum, non amplius esse obiectum huius causae.

f) Cl.mus Recurrentis Patronus tandem agit de “defectu serietatis” ut fieret exeunte anno 2004 “un ulteriore tentativo di riconciliazione”, eo quod Soror convocata est a nova Superiorissa generali in diem 13 decembris 2004, dum iam die 30 novembris eiusdem anni Congregatio dimissionem definitive confirmaverat.

Antistita autem generalis statim ad colloquium invitavit Sororem, sed ob eius tergiversationem id denique tan-

tummodo in diem 13 decembris 2004 statutum est.

Quidquid est, non intellegitur quo modo illegitimitas impugnati Congregationis decreti exinde sequeretur.

g) Concludendum itaque est neque assertam violationem legis in decernendo fumo boni iuris gaudere.

6. Re sedulo examinata in Congressu, die 22 iunii 2006 coram infrascripto Cardinali Praefecto habito,

decrevit:

Recursum non esse admittendum ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis H.S.T. Patribus, utpote manifeste quolibet fundamento carentem.

Et notificetur omnibus, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 22 iunii 2006.

Augustinus Card. VALLINI, *Praefectus*
+ Velasius DE PAOLIS, C.S., *Secretarius*